







# CHRISTOPHORI WITTICHII
Philosoph. & Theolog. Doct.
ejusdemque Prof. Ord.

# GIBEA GELRICA

Sive

## ORATIO

*Quâ convenientia inter Gibeam Beniaminis & Neomagum demonstratur,*

IN TEMPLO MAJORI HABITA,

Cum Recturam Magnificam in Celeberrimum Virum Dn. Petrum de Greve Ictum transferret

*Die 3. Maji.* cIↃ. cI. c. LVI.






NOVIOMAGI,
*Typis* NICOLAI ab HERVELT Tetrarchię Noviom. Vniversitatis Typographi cIↃ cI c LVI.

*Nobiliſsimis, Ampliſsimis, Conſultiſ-ſimisque Viris*

Dn. Dn. CONSULIBUS, SCABINIS & SENATO-ribus inclytæ Reipublicæ Neo-magenſis Moderatoribus Sa-pientiſſimis, æquiſſimis

*Salutem in Domino*

NObiliſſimi, Ampliſſimi, & Prudentiſſimi Domini Vos patronos oratio mea nunc typis edita deſiderat, ad quos antehâc vivâ voce fuit habita, quiq; eam ſuffragio proprio, dum non tantum publica luce dignã cenſuiſtis, ſed ut & per me id conſequeretur ſeriò injunxiſtis, veſtræ clientelæ adjudicâ-ſtis. Novi enim non defuturos Zoilo-

rum

rum mordaces dentes , qui facilè arripient, quod rodant. Atque ego dum meam in dicendo tenuitatem considero, & quàm parum ad hanc palæstram sim instructus perpendo, fateor non inventuras delicatorum aures , quod satisfaciat vel arrideat , quorum cupiditatẽ ut hâc oratione me explere non posse intelligo, ita V.V.N.N.A.A. erit, ut quemadmodũ adhuc me ipsum benevolo vestro favore & patrocinio contra malevolos famæ meæ aduersarios fecistis tutum, ita hanc orationem contra calumniatores, quorum censuram non potuit effugere prima oratio nemini propter strepitum & tumultũ intellecta, qui alios quàm semet, tamesi larga materia suppetat reprehendere ma-

re ma-

re malunt, tutelâ veſtrâ protegatis. De quâ quoniã nullus dubito, eò facilius â me potui impetrare, ut hoc, quicquid eſt, à mea tenuitate profectum publicam lucem adſpicere juberem. Accipite ergo ſerenâ fronte exiguum hoc munuſculum, quod antequam oblatum ſolo veſtro favore dignum, ut hic vobis exhiberetur, reddidiſtis. Deus Vos quâ publicæ quâ privatæ rei feliciter diuque velit præeſſe. E Muſeo meo. 3. Cal. Sept. M. DC. LVI.

*V. V. N. N. A. A.*

*addictiſsimus*

CHRISTOPHORUS WITTICHIUS

*Phil. & Th. D. eiuſdemq́;*

*Prof. Ord.*

*Chriſtophori VVittichii*

# GIBEA GELRICA

NEminem ferè veſtrûm puto, Illuſtres & Potentes Tetrarchiæ Noviomagenſis Deputati, Nobiliſſimi Curatores, Ampliſſimi Conſules, Prudentiſſimi Senatores, Clariſſimi Profeſſores, Reverendi Paſtores, Voſque quotquot adeſtis omium Ordinum Doctores & Auditores ſpectatiſſimi, Tuque Nobiliſſima juventutis ſtudioſæ Corona, Neminẽ veſtrûm puto, qui non grata recordatione mecum recolat, quanta ante annum ſolemnis illa Feſtivitas ad feliciter jacienda Academiæ noſtræ fundamenta publicâ authoritate indicta animorum omnium exultatione,

quanta ad hauriendas voces Doctorum juventutis novas hominum congregatione fuerit celebrata, dum ipsæ Arbores è nemoribus proximis accurrere, ipsi fontes & stagna propius affluere, cœlum omne nobis ridere, ipsi montes extra & parietes intra urbem quodammodo gestire & exilire viderentur. Annus feliciter est elapsus, qui huic Academiæ non contemnenda dedit initia, concurrente huc frequente Studiosorum cœtu, ac variis exercitiis profectus suos declarante, quod pulchrum auspicium nobis videtur promittere majora in dies à Dei benedictione incrementa. Atque hodie illuxit auspicatus ille dies, natalis nostræ Universitatis, quem jure merito festum publicâ lætitiâ agimus. Rediit mense Majo solem-

ne noſtrum ſacrum nunquam quamdiu hic orbis ſteterit ( ita voveo & auguror ) intermittendum. Olim Romæ feſtum in honorem Caſtoris & Pollucis à Claudio Imperatore, ut opinio fert Doctorum, inſtitutum, quoniam menſe Majo celebrabatur, *Majuma* fuit appellatum. Id nominis non incommodè ad ſolemne hoc noſtrum ſacrum, quod eodem menſe agitamus, videor poſſe transferre, ut ita ſingularis lætitiæ diei ſingulare etiam nomen imponatur. Salve ergo Majuma noſtra ſæpiusq; revertere, atque ad ſeros nepotes continua. Feſtam tuam ſolemnitatem ſummâ veneratione, maximâque animi lætitia agere convenit. Hunc in finem, utque ſolemni ritu ſucceſſor in functione Recturæ Academicæ inveſtiatur hęc ampliſſima omnium Ordinum

corona convenit, atque à me exſpectat, ut priuſquam me ipſum hoc munere exuam, ſucceſſoremque à Nobiliſſimis Dnn. Curatoribus deſignatum nominem, more ſolito de materia ab hiſce ſacris non aliena verba faciam. Mihi verò conſideranti huic conſuetudini receptæ obtemperandum, atque de materia commoda ſolicito, in mentem venit non futurum inconveniens, nec forte auditorio ampliſſimo ingratum, neque à mea functione alienum, ſi comparatione inſtituta inter Gibeam, quæ olim collegium Prophetarum populique Iſraëlitici Academia, noſtramque Urbem, quæ Academia inclareſcere incipit, earum convenientiam & ſuavem harmoniam oſtenderem. Ad quod peragendum antequam me accingam

gam, ad Deum ter Opt. Maximum oculos & mentem converto, inque ejus nomine præmissa oratione hunc actum auspicor:

*Benigne & Misericors Deus gratia sit tibi dicta à nobis omnibus, quòd, postquam ante annum summus esse voluisti Academiæ fundator, eidem læta & optata hâctenus concessisti incrementa. Tu qui sancti hujus operis author es primus illud promove, & ad laudes tuas dirige, & quam Academiam novam laudibus tuis perpetuò resonandis Illustres Proceres condiderunt, quam nomini tuo portam hîc aperuerunt, hodie ac semper ne subire dedigneris. Qui posuisti gloriam tuam super cœlos, ex ore parvulorum & lactentium funda fortitudinem, para tibi laudem propter inimicos tuos, & qui nunc ades nobis benedictus, huic omni benedic hæreditati, Amen.*

Vos verò omnium Ordinum Auditores favete animis, qui adestis corporibus, & dum sine ornamentis, sine Rhetorum coloribus & pigmentis, sine calamistratis verbis solo vestro favore nixus, aliquid de propositâ materiâ delibo, vacuas & attentas aures quæso præbete.

Academia Athenis primum inclaruit, atque quamvis ea vox ad varia designanda adhiberetur, communissimè tamen significavit locum literis docendis & discendis atque eò usque deducendis, ut ad publica munera quis aptus reddatur, dedicatum, eumque qui in istum finem ibidẽ conveniret cœtum. De origine vocis non est eadem omnium sententia. Quidam ab Academio quodã sive Academo viro illustri derivant, quem privatam suã possessi-

possessionē publico studiorum causa addixisse, eiq; nomen suum indidisse volunt, estq; hæc Laërtii in Platone opinio. Alii in alia omnia eunt atque ad Kadmum originem hujus nominis referunt. Kadmus autem nomen Phænicium est significans *Antiquum*, hoc est, eum qui dignitate, officio, functione & procuratione, vel etiam tempore ac loco aliisve modis ante cæteros eminebat. Hoc sensu Cadmo illi, cujus Historiæ frequenter meminerunt id nominis est tributum propter officiū cum dignitate conjunctum & actiones quas in functione illius officii edidit, quomodo nunc Antistites vel Antecessores dicuntur, qui in Ecclesiis vel Academiis aliis præsunt. Præter enim varia alia ejusdem instituta de eo memoratur,

quòd, ubicunque fuerit, literarum ludos constituerit ac hominum congressus humaniorum literarum & studiorum adjumento expoliverit. Illud quoq; memoriæ nominis ejus tribuitur, quod in Bæotiâ Cadmíam sive Cadmiam arcem Thebarum gymnasiumq; instruxerit, nomenq; Cadmeis indiderit, qui sedibus postea pulsi ab Argivis Athenis in civitatem recepti fuerunt, doctrinisque quam plurimis, præsertim literarum studiis ad humaniorẽ vitam eos induxerunt, atq; inde factum, ut similiter ac Thebis antehâc gymnasiũ, ita Athenis Kadmía sive Kadmia atque per prosthesin literæ α Academía sive Academia appellaretur. Postea Attica hæc appellatio ad alia quævis loca studiis destinata commeavit, sive publicè

ſive etiam privatim ſtudiorum cauſa fuerint comparata. Hujuſmodi fuit Arpinas illa & Tuſculana, atque tertia Ciceronis inter Avernũ lacum Puteolosque ſita olim percelebris. Athenis verò procedente tempore Academia diſtincta fuit à Lycéo Ariſtotelis & Peripateticorum, ex quo illi ab Academiâ, in qua docuerunt Plato & ejus diſcipuli, ſeceſſionem fecerunt. Communis tamen ſignificatio alibi manſit, ut pro cœtu hominum ſtudia literarum exercentium ac metonymicè pro loco ubi ſtudia docendo diſcendoque exercentur ſumeretur.

Quemadmodum verò vox Academia apud Græcos à quibus traducta eſt ad Latinos in dictâ ſignificatione fuit uſurpata, ita apud Hebræos, apud quos ſtudia lite-

rarum antiquissima, obtinuit, ut locus habendis conventibus scholasticis destinatus Gibha sive Gibea vel Gabaa fuerit appellatus. Nomine quod respicit morem illum antiquissimum, quo talibus conventibus habendis eminens sedes in editioribus quibusque locis destinabatur. Atque hinc non sine ratione deduxeris veterem illam Gabiorum apud Volscos in finibus Latii appellationẽ, apud quos Latinorum schola Volscorumque, quam Phænices Cadméos & progeniẽ eorum Tyrrhenos Oscos sive Hetruscos statuisse ferunt, ad quam ablegati traduntur Romulus & Remus, ut ibi disciplinam Græcam addiscerent. Ut ita Latini non tantum voce à Græcis traductâ locũ studiis destinatum designarint, sed ad idem signi-

ſignificandum etiam vocẽ Hebræam videantur uſurpâſſe.

Academia ergo apud Hebræos eſt locus altus, eſt Gibea, vel potius: Gibea eſt oppidum altiori ſitu collocatum, in quo collis Dei ſive populi Iſraëlitici Academia. Quâ in re magna ei cum Neomago Batavorum oppido cognatio intercedit. Tota noſtra civitas colli ſuperſtructa eſt, ac *collis Dei*, noſtra Academia, locum civitatis ferè ſupremum & altiſſimum occupat. Videntur autem Iſraëlitæ ſtudiis deſtinâſſe Gibeam urbem propter altitudinem, quòd loci alti ad ſtudia literarum excolenda commodiſſimi exiſtimentur. Hinc Muſas montes & loca alta habitaſſe Poëtæ fingunt, ac Heliconis verticem iis

 aſſignant

assignant, à quo & Heliconiades fuerunt dictæ, sicut Pierides à Pierio Thessaliæ monte. Cujus quidem rei variæ possunt reddi rationes; nimirum, quòd montes speculæ vicem præstent, unde longè latéque circumquâque prospicere licet, amænoq; variarum rerum adspectu animum exhilarare. Quæ animi hilaris dispositio magnum confert ad speculationẽ & contemplationem rerum subtilium momentum. Dici etiam potest, montes Musarum habitaculum fuisse constitutos propter solitudinem, quòd illi suà acclivitate & viæ difficultate viatores aut alios importunos interpellatores à se avertant. Quantum autem solitudo commoditatis studiis literarum conferat, nemo est, qui ignoret. Verum-enim-verò præcipua

causa, ob quam montes Musarum habitaculum sunt constituti mihi hęc videtur, quòd denotare voluerint, arduam esse & difficilem ad sapientiam viam, multo sudore & labore emetiendam, eos tamen qui indefesso studio superaverint ad sublimem altissimarum rerum cognitionem deduci. Admittuntur enim Musarum cultores ad spectanda pro conditione hujus vitæ mysteria divina, in quæ & Angelis olim libuit introspicere; panduntur eis secretiores Juris recessus, quid æquum & iniquum, honestum & turpe, justum & injustum sit iis enucleatur, introducuntur in Naturæ arcana indoctis inaccessa, quibus non tantum animum insigni rerum speculatione perficiunt, sed etiam magnam utilitatem generi humano tum ad

ſanitatis conſervationem tum ad variarum artium inventionem conferunt; ſpectant tanquam in tabulâ varias hominum actiones & mores, omnemque rem geſtam ab orbe condito uſque ad noſtra tempora perluſtrant. Atque ut in ſumma dicam, quicquid eſt humanæ & divinæ cognitionis Muſarum myſtis penetrare datur. Huc verò vos, Nobiliſſimi & Ornatiſſimi Dn. Studioſi Situs Academiæ noſtræ in loco altiori reſpondens ſitui Gibeæ ſive *collis Dei* vocat, idque vobis pollicentur Muſæ in eâ habitantes, nimirum, modò non aſcendere pigeat & difficultates viæ ſuperare tædeat, fore, ut quarumvis rerum cognitione decorati ad veſtros redeatis, honori & dignitati ipſis olim futuri.

Eum in finem Neomagum Proceres naturâ Gibeam, etiam dignitate Gibeam effecerunt & exaltarunt, porroque in altum tollere habent constitutum. Hanc loci opportunitatem in consilium adhibentes tandem unanimi consensu,(quem Deus inspiret precor) totius Gelriæ fœderatæ Ordines efficient, ut quemadmodum cœpit Academia, ita pergat spretis Athenis in Latium migrare, ut Claudiani Poëtæ verbis utar, & ex Ramæ lapidibus dirutis Gibea nostra ædificetur ac magis magisque confirmetur.

Sed non tantum in eo convenit Situs Gibeę Israëliticę cum hac Neomagensi, quod utraque elatior reliquâ terra ab ea in altitudinem assurgit, sed

ſed alia præterea reſpectu ſitus ſeſe hîc offert egregia ſimilitudo. Si enim Geographicam terræ Judaicæ deſcriptionem ſpectes, erat Gibea in termino Judæ, ſeparans Judæos veros Dei confeſſores ab Iſraëlitis Idololatris, qui ſeceſſione factâ à domo Davidis ſibi ipſis Regem Jeroboamum conſtituerant, atque ab eo per erectionem vitulorum à Deo vero abducti in turpem Idololatriam fuerant præcipitati. Quis non videt, quàm hęc Gibeę noſtrę conveniant? Eſt illa terminus Judę hoc eſt *Dei confeſſorum* Meridiem verſus, quò ſi procedas ad fratres quidem ſanguine & ſtirpe ſive ejuſdem gentis, ſed Idololatras & Antichriſti aſſeclas confeſſores Dei omni odio proſequentes pervenies. Gibea noſtra nomine Neo-

magenſis

magensis, re Judęa juxta Dei verbum solum Deum verum, Cœli & Terrę Creatorem, unum essentià & trinum personis confitetur, in eoque solo fiduciam ponit, relictis & rejectis Creaturis, Angelis & hominibus sanctis. Hâc confessione perstrepit templum, resonat Academia, repleta est Curia. Tempus me deficeret, si, quantum hâc in re Gibea nostra Neomagensis à conterminis suis fratribus differat, vellem plenius recensere. Olim Judęi cultum à Deo institutum sequebantur, ac religionem ab ipso mandatam profitebantur, cum è contrario reliquæ tribus Israëliticæ à Deo deficientes hominum inventa sectarentur, eisque Deum coli posse sibi persuaderent. Atque in eo omnis differentia inter veros

Dei confessores & Idololatras finitimos consistit. Verbum Dei normam & regulam credendorum & faciendorũ constituimus, quicquid ab eo discordat rejicimus, quicquid cum eo convenit recipimus. Hoc respuunt nostri Adversarii, dum illud sine authoritate & testimonio Ecclesiæ consideratum cum fabulis Æsopi comparant, Lesbiam ac plumbeam regulam sæpius appellant, imò & cum Alcorano Mahometico non sine insigni blasphemiâ conferre audent. Nostra Gibea in solius verbi divini dictamine acquiescit, purum illud & sincerum conservans absque humanorum commentorũ admixtione. Sic enim existimat, fidem scripturæ habendam, ut in omnibus, ita & cum edicit: *Nihil sibi esse adjiciendum.* In quo observat Tertulliani nunquam sa

tis laudatam ſententiam: *Cum credimus, hoc primùm credimus, nihil eſſe quod ultra credere debeamus.* At contermina Iſraëlis Idololatrica regio varias traditiones humanas non tantum à Patribus ſuperiorum ſeculorũ, ſed etiam à recentibus Pontificibus Romanis profectas verbo divino aſſuit, parem iis dicto, facto majorem authoritatem attribuens. *Quandoquidem enim ſaluberrimum lac ex Scripturæ uberibus manans faſtidit, digna eſt, quæ traditionum ſiliquis, quibus ſolis inhiat perpetuò paſcatur, cuique Romana Lupa atrum tabificumq; illud, quo turget, traditionum ſuarum virus ex ſpurciſſima ſua ruma immulgeat, & tum nihil credendi, tum quidvis faciendi jus indulgeat,* ut Tileni elegantiſſima verba hic uſurpem. Quemadmodum verò Gibea Neomagenſis ſolum Dei verbum recipit, & à quâvis alia doctrinâ abhorret;

ita porrò cultum convenientem cum illo Deo exhibet, eum unicum Servatorem agnoſcit, quem proram puppimque ſalutis conſtituit, nihil vel propriis viribus tribuens, vel ad aliorum auxilia reſpiciens. Agnoſcit in ſalutis negotio & quoad ſpiritualia universalem omnium animæ facultatum corruptionem, talemque è ſtatu primævo dejectionem, ut nec ſe ipſam erigere, nec quicquam ad ſui reſtaurationem conferre poſſit. Gratiæ itaque divinę prevenienti, diſponenti, convertenti omnem refert acceptam, quę in converſione obtingit, mutationem. Unam Chriſti amplectitur pro peccatis pleniſſimam ſatisfactionem & meritum, quo ſe remiſſionem peccatorum & veram juſtitiam conſequi credit. Huic uni Serva-

tori in totâ vitâ adhęret, hunc ſolum in neceſſitatibus invocat, ejuſque unius interceſſione apud Patrem nititur, certò ſibi perſuadens, fore, ut ad iſtum ſuum Filium oculos Pater reflectens Eccleſiam ſuam myſticā amore complectatur, eamque uſque ad finem in vera fide contra inſultus hoſtium infernalium conſervet. Itaque ei Chriſtus lucrum in vitâ & in morte. E contrario pars adverſa Chriſtum veram ſcaturiginem aquarum dereliquit, & effodit ſibi ciſternas fractas, quæ non capiunt aquas. Hâc enim abeunt ad paludes limoſas propriarū Lib. Arb. virium, quibus præparationem ad gratiam & cooperationem cum gratia aſſignant; Illâc deflectunt ad colluviem ex meritis & ſatisfactionibus Sanctorum collectam,

quibus refocillari desiderant, undiquâqne semetipsos graviter fallentes, sibique fucum facientes. Atque inde fit, ut quia tam infirmis innituntur fulcris, dum moriendum est, ferè verbis Adriani Imperatoris animam alloqui teneantur: *Animula vagula, blandula, Hospes comesque corporis, Quæ nunc abibis in loca? Pallidula, rigida, nudula, Nec ut soles dabis jocos?* Tanto intervallo dissidet Gibea nostra à confini ejusdem nationis terrâ, à qua tamen nullo ferè intervallo distat. Ac quamvis Gibeæ huic Judeæ, Gibeæ confitenti sint intermixti desertores Idololatræ intra eadem mænia conclusi, ii tamen non magis partem faciunt hujus nostræ Gibeæ, quam ad civitatem Dei pertinent cives mundi, licet in hac terra cum civibus Dei sint conjuncti.

Verum

Verùm non dilatabo orationem meam: etenim posset esse hîc satis longa, si mihi liberet ire per singula, sed ulterius progrediar, atque aliam inter Gibeam & nostram Urbem comparationem instituam. Gibea erat sedes Saulis sive Regia ejus Urbs, in qua jura dabat, quò confluere oportebat Israëlitas, si de jure disceptare, atque decreta & responsa Regis accipere vellent. Sic Neomagum fuit sedes Imperii, Imperatoris Caroli M. regia, qui arcem Noviomagi magnà curâ instauravit, eamque sibi in Palatium delegit, quod, quia nulli dynastæ esse obnoxium, nulliusque Jmperium quàm solius Imperatoris agnoscere voluit *Palatium publicum* nominavit, remanente illà apud posteros appellatione.

Unde post eodem sensu Suentiboldus Rex Imperatoris Arnulphi filius *Palatium Regium* hanc Imperii sedem appellat, quẽadmodum ex tabulis ipsius Odilbaldo Episcopo datis Vir literatissimus Dn. Joh. Smith commemorat. Hujus suæ dignitatis principium ut Carolo M. tanquam primo fundatori Neomagum refert acceptum, ita ejusdem continuationem & conservationem Carolingis, atque Imperatoribus qui successerunt adscribit, qui hoc Palatio similiter tanquam Regiâ domo fuerunt usi. Neque parum facit ad rei hujus confirmationem Nomen *Imperii*, quo & hodie & olim in literis antiquis Neomagum fuit designata.

Confinis est priori & hæc Gibeæ cum Neomago comparatio. Gibea olim fuit

Me-

Metropolis Benjaminitarum, hanc excellentiam exinde nacta, quòd regiam ſuam ſedẽ Saul ibi conſtituerit, quam ob cauſam eadẽ dignitas & Neomago venit aſſignanda, cujus tamen etiam alia ſunt argumenta. Huc enim facit nomẽ *Urbis* per excellentiam huic oppido attribui ſolitũ, uti ex antiquo fragmine tabulæ æneę hîc effoſſæ cognoſcere licet; quod nomen ſi ſingularem non adſtruere Neomago prę-ſtantiam videtur, ſaltem eam Epitheton *Principalis*, quo hæc Urbs à Carolo V. fuit decorata, manifeſte demonſtrabit, ut nunc Hiſtoricorum non advocem teſtimonia, qui Gelricæ gentis *Caput* vocant, atque nominis vetuſtate, populi frequentiâ & opum magnitudine primas tenere conſtanter perhibent

 Con-

Confirmant dignitatem privilegia amplissima, excellentissima, quibus ante alia celebriora Romani Imperii Oppida fuit hæc dotata Civitas, quæ speciatim recensere hîc supersedeo. Sed non levem authoritatem & fidem meæ orationi conciliat Neomagensiũ authoritas ultro à totâ ditione & duce ipso iis delata, quâ & primarias in totius Ducatus administratione obtinuerunt partes, & soli sæpe totius regionis apud Ducem atq; exteros Principes, aliquando etiam Ducis simul & Provinciæ causam egerunt. In cæteris hæc eorum authoritas effecit, ut quò ipsi inclinarent, grande semper toti rei agendæ adjecerint momentum. Atque hanc suam authoritatem Urbs Neomagensium eousque graviter defendit & tan-

quam propriam ſibi uſurpavit, ut,referente antea laudato Dn. Smith (cujus accuratæ diligentiæ multum debet hoc Oppidum Batavorum, noſq; magnâ ex parte accepta referimus, quæ hîc de dignitate Neomagenſium diſſeruimus) Anno 1544 non tantum ipſum Reinaldum Ducem adigerent, ut ſacramento tabulisque minore ſigillo roboratis promitteret, privilegia ipſorum ſarta atque inviolata ſe habiturum, ſed inſuper vellent, ut coràm Noviomagi concepto jurejurando fidem ſuam adſtringeret, tabulasq; majore ſigillo firmaret. Inſigne quoq; excellentiſſimę hujus Oppidi dignitatis, quòd illud Carolus V. Imperator voluerit eſſe inter quatuor Urbes, quæ ſigillo ſuo appenſo ſubſcriberēt fœderi quod inter ſeptēdecim Belgii Provincias Burgundiāq; ab una parte, &

Romanum Imperium ſanxerat, atque ad tollendum metum de imminuenda forte per hoc fœdus dignitate, quam ſtrenuè Batavi hâctenus defenderant cautionem de indemnitate prçſtiterit. Atque hanc ſuam dignitatẽ & prę reliquis harum Provinciarum Oppidis eminentiã in hunc uſque diem ſartam & tectam conſervavit, unde fit, ut dum in majoribus Comitiis omniumque Ordinum conſeſſu reliquæ Provinciæ Gelriæ primum locum, primumque ſuffragium deferunt, ipſius Provinciæ Gelricæ civitates ad Neomagum & Neomagenſes tanquam ad originem hujus ſuæ dignitatis ſpontè utrumque devolvant. Ita tot poſt bellorum vices Imperiorumque converſiones primarii principisq; Oppidi dignitatem No-

viomago communis omnium fœderati Belgii Ordinum consensus hodie tribuit.

Magna est hæc utriusque Gibeæ & Judęæ & Neomagensis dignitas, sed accipite longe majorem. Gibea collis Dei à Samuele appellatur propter divinam doctrinam, quæ in Prophetarum collegio resonabat. Hæc istius appellationis ratio mihi sufficit, neque eam derivabo à commoratione arcæ Dei ad tempus in Gibeâ, quod video viros doctos sentire, qui etiam putant inde à Davide fuisse abductam. *Kiriathjearim* enim locus arcę expressè appellatur, ubi resedit, donec à Davide abduceretur, qui locus à Gibeâ satis longo intervallo distat, neque hæ duæ urbes ullâ ratione sunt confundendę. Sed hoc misso si respiciamus ad prio-

rem appellationis rationem, non minori jure hoc nostrum Batavorum Oppidũ *Collis Dei* poterit vocari, ac olim Gibea fuit nominata. Fuit illud ab antiquis temporibus cum totâ gente Batavâ studiosũ purioris Christianismi. Testis est Tertullianus suo tempore Christianos ab Ethnicis per contemptum *Pisciculos* fuisse vocatos, dubio procul ut sortem primorum religionis Christianæ Antistitum (Apostolos dico, quorum multi piscaturæ operam dederunt) ipsis exprobrarent. Notum quoque est, quòd originem cruce se signandi dederit Christianis Ethnicorum insultatio & crebrum opprobrium, *quòd colerent Crucifixum*. Ita enim testari volebant, tantum abesse, ut se crucis hujus Christi puderet, ut potius in

igno-

ignominiâ Crucifixi gloriam ſuam omnẽ repoſitam putarent. Hoc duplex opprobrii ſignum tanquam teſſeram ſuam non dubitavit Batavus quidã gemmæ inſculpere quã annulo incluſã digito geſtabat, atq; hâc ratione oſtendere, ſe utramque hanc ignominiæ notam laudi ſibi ducere inter ſuos gentiles; qui ſic firmum argumentum nobis ſubminiſtrat Chriſtianiſmi fundamenta primis temporibus inter Batavos fuiſſe jacta. Quemadmodum verò hoc Oppidum aliis pręivit in Chriſto ſuſcipiendo, ita poſtquam diluvium Papatus omnia inundâſſet, fuerunt Neomagenſes inter primos, qui Reformationem reciperent. Anno enim 1566. Religionem apertè conſtituerunt Auguſto menſe, quando templum Johannitarum,

quo

quo civium Fratrię convenire ſolebant, Reformatorum concionibus ſua authoritate transſcripſerunt. Magna hęc profecto laus omnibus aliis encomiis longè pręferenda. Quamvis enim Neomagum aliarum rerum dignitate nemini cedat, ſed facile de antiquitate, bellica fortitudine & ſimilibus poſſitcum quibuſvis civitatibus contendere, tamen in eo maximam gloriam ſuam poſitam rectè exiſtimat, quòd Chriſtum, cui tempore Tertulliani magnoperè adhuc gentes reluctabantur, ſuſceperit, eumque poſt inchoatam Reformationem intra mœnia ſua ſolum ejecto Antichriſtianiſmo voluerit prædicari. Huic glorię cedere oportet innumeros triumphos, devictas hoſtiũ acies, pyramides & coloſſos aëre medio pen-

pendentes, ædificia ſplendore inſignia, & quodvis aliud rerum humanarum faſtigium. Fluxus eſt ſplendor omnium rerum terrenarum, evanidus & perpetuitate caret: At gloria de Chriſto & in ipſo per omnia ſecula manet, nec unquam peritura eſt. Qui confitetur Chriſtum coram hominibus, eum ipſe confitebitur coram ſuo Patre cœleſti, & quando apparebit in ſua gloria eum glorioſè ſuſcipiet, perpetuaque explebit felicitate. Tunc quicquid fuit ſublime in mundo deprimetur, tunc colles alti dejicientur, quibus hoc in orbe terrarum ſuperbiverunt homines terreni: at *hic Collis Dei* exaltabitur & vera gloria coruſcabit. Gloria enim hæc non eſt in carne, nec de illa, ſed de Chriſto. Non adverſatur gloriæ

divinæ, ut alia quævis rebus externis & terrenis nixa, atque eo ipſo gloriæ Dei detrahens, ſed è contrario Deum magnificat & extollit.

Gaude ergo Batavorum Oppidum hâc tuâ excellentiâ, atque eam omnis alterius tuæ felicitatis reputa fundamentum. Inde exiſtima, quòd ut olim Deus Gibeæ conſervavit libertatem medios inter hoſtes & adverſarios infenſiſſimos populi ſui Philiſtæos; ita etiam hâc in parte te ei voluerit eſſe æqualem, ut libera eſſes etiam tùm, quando aliæ gentes duram ſervitutem ſerviebant, nec erat ſpes humana, quæ tuam Libertatem ſuſtentaret. Providentiam Dei effeciſſe, ut Gibeæ incolis etiam cùm ſtationes Philiſtæorum ibi poſitæ eſſent ſua libertas fuerit per-

miſſa, colligere licet ex hiſtoriâ populi Iſraëlitici à Samuele amanuenſe Dei ex divina inſpiratione deſcriptâ, qui narrat eo tempore Sauli occurriſſe Prophetarum turbam liberè de colle Dei, qui in Gibeâ, deſcendentium & prophetantium. Eidem Providentiæ divinæ ſingulariter erga te affectæ ô Neomagũ adſcribes, quòd ad hæc uſque tempora Libertate plenâ fueris uſa. Hæc olim frœnum impoſuit Romanis rerum dominis, ut dùm totam Galliam ſibi ſubjicerent, Germanorumq; trans Rhenum libertatem non parùm imminuerent, eam tibi ſartam tectamq; relinquerent, permittendo Batavis, ut ſuo jure, Magiſtratu, Legibuſque uterentur, ab oneribus & tributis eſſent exempti, neque aliud quid prę́ſtarent,

quàm ut Majeſtatem populi Romani obſervarent comitèr, illęſa Libertate avita, atque in obſequio eſſent, parati ad auxilia pręſtanda, neceſſitate ea poſtulante, quę tamen Romanis pręfectis non ſubeſſent, ſed à quodam popularium regerentur. Dei ope ſingulari inter variam multorum ſeculorum fortunam decus antiquę Libertatis ſervaviſtis: ut nec ſequioribus temporibus, cum veſtra Civitas oppignerata jam eſſet & premeretur, fuerit oppreſſa, aut decus amiſerit, ſed felici fato ad fœdus liberi Belgii, quòd Ultrajecti percuſſum, libertatem incolumem & integram, qualis à majoribus relicta erat attulerit; cum rurſus in hoſtium redacta poteſtatem eſſet, dignitatem retinuerit; & ad fœdus tandem ſociale

Belgii, manente priſca privilegiorum reverentia, id quod ſtipulata eſt, ſe receperit. Eadem libertas ut porrò conſervetur, providebit Deus, idque ob receptum collegium Prophetarum intra Noviomagi muros, ſive inſtitutam Academiam. Illud enim certò ſibi promittere poterit, quod Micha falſò ſibi perſuaſerat, Deum ſibi benefacturum, non quòd habeat Levitam in Sacerdotem, ſed quòd variis doctoribus juventutis ei ſit proviſum. Florebit hæc Urbs impoſterum ope & auxilio divino adjuta.

Ex his omnibus apparet, nullam eſſe Gelrię Urbem, quę meliori ratione cum Gibea poſſit comparari, nullamque cui majori jure Academia debeat aſſignari, quàm Neomagum, cùm tanta prę aliis

dignitate emineat, quę occaſione hujus comparationis ex parte fuit oſtenſa. Itaque quod reſtat his relictis ad Inaugurationem Novi Rectoris Magnifici hujus Univerſitatis nunc accedo, &c.

FINIS.

3: 3: —